Monumentum

Quod
in præmaturum & luctuosum, sed beatum
DANIELIS ULRICI SCHRADERI,
Nobilissimi, strenui ac Doctissimi Viri,
Dom. JOACHIMI HENRICI
SCHRADERI,
S. R. M. Pr. & Elect.
Brandenb.
Consiliarij.
Unici filioli dulcissimi primogeniti
Abitum ac Obitum
d. 3. Sept. Anni 1703.
Gedani terræ demandati
justæ συμπαθείας contestandæ gratiâ
erigere voluit.

Salomo Bachius Jur. Utr. Pract.
& Reg. Notar. Publ.

LEX UNIVERSI.



Hodie mihi, cras tibi.

Tumba
in qua
α & ω

SArcophago tegitur *Schraderi Gnatus* in isto,
Mundi ne Impietas inficeret quæ animum:
Grammata mundani sic nauseat omnia ludi,
Nec ut Syntaxi nomina juncta daret,
Accersit Lachesin pro Pallade ut amplius istâc
Disceret in cœlis ω & α DEUM.

* * * * * * * *
* * * * * *
* * * *
* *
*

Principium & Finis

Vixit quondam
DANIEL ULRICUS SCHRADERUS
Ah quid dixi?
vivit,
abiit
obiit.
Quid?
adiit vitam,
semel adire & abire parum habuit,
aderit iteratò.
Mortuus,
sed ut oriretur illustrior:
Immortalis in corpore mortali.
Mundo infans mortuus, cœlo Civis ortus,
ætate integra, nondum integra,
Immaturus mundo, cælo maturus,
ubi perfectus in Perfectitudine, nondũ perfectus in Imperfectitudine.
Dum moritur, vivit; dum vivit, moritur!
Paradoxon.
Mors non potest esse vita, nec vita mors,
Hîc habes utrumquè in uno Subjecto:
Mortem

Mortem in vita, & vitam in morte,
Exanimatam vitam, in vita animata,
Mortuum viventem, & viventem mortuum.
Occubuit quidem;
sed vicit.
vicit
sed occubuit.
Noli mirari.
Docet cum Saavedra Politicorum Schola:
Nullam esse Securitatem Prælium inter & victoriam
Quodq́ arma florentia nequiverunt, prostrata interdum obtinuisse
& dispersa hinc inde spolia.
Non aliter piè defuncto Mors cessit in Trophæum æternitatis.
ubi Mortem in victoria, & victoriam in Morte
intueri potes.
Victus evadit victor,
victor victus
abiit.
Quid refert desinere vitam?
Si in aliam commutetur æternam?
Quæ sola vita est;
non quæ in corpore, aut vitali consistit calore:
Hæc
simul ac oritur, mori incipit.
Imò vivere corpori est animæ mori,
Corpori mori vivere animæ,
vivere terræ, Cœlo mori,
Cœlo vivere, mori terræ.
Mirabile tamen certamen!
ubi
ab utraquè parte victor
clades & victoria existit?
Frequens est non infrequens miraculum:
Victoria felicitatis victo, victori infortunij est Principium:
In Morte partus, in partu Mors vitam producit.
Si juxta Statistarum Regulas tamen: *victoriam pluris à Progressib⁹,*
qui inde sperantur, quàm à se ipsa æstimaverimus?
Splendida hæc est victoria.
Peperit ex hâc:
Brevissimæ vitæ terminus Principium vitæ sempiternæ,
Imperfectio summam Perfectionem,
Vanitas Æternitatem,
Immortalitatem Mortalitas.
Videas hîc simul:
ortum & occasum,
A 2 æternæque

æternæquè esse veritatis Physicum illud Axioma:
Unius Generationem esse alterius corruptionem.
Imitando Victor Noster Phœnicis Naturam;
moritur & oritur,
mortuus;
Sed in ipso Mortuo mors morte moritur,
& vivus resurrexit partus
in vita.
Partus in partu Genitricem illæsis Parricidij enecavit legibus;
ac sequenti contumulavit Næniâ:
Lex est Universi, quæ jubet nasci & mori.
Quid igitur est vivere in terris?
Parenthesis,
Quam brevissima temporis clausula intra se concludit:
A cunis suum sumit exordium, finitur in Tumulo.
Illæ
Punctum & quasi centrum,
è quibus laborum & curarum ducuntur lineæ;
Hic
Peripheriã seu circumferentiam omnium in vita actorum repræsentat
cum lemmate:
in ictu oculi clauduntur omnia.
Quis facile feliciorem dixerit horam?
Nativitatis an Mortis?
Una Principium, altera Finis laborum est,
Ipsaquè vita abipsa Nativitate:
Perpetuus mortis est Timor.
Quæ tanquam Navis,
hujus innatat Mundi fluctuatquè fluctibus,
nec priùs conquiescit,
Quàm fuerit ad Mortis appulsa littus.
Hinc non minùs scitè, quàm ritè Pöeta:
Seriùs an citiùs metam properamus ad unam;
Vitam enim non tempus metitur, sed usus:
Cœlum non à diebus ætatis; sed moribus computat annos:
Non Felicitas est vivere, sed nosse vivere:
Non plus vivit, qui diu vivit, sed qui meliùs vivit.
* Eccl. 41. v. 16. Et hoc est, quod dicit Ecclesiasticus *
Bonæ vitæ,
numerus dierum.
Quò collimando Imperator Vespasianus,
cum aliquo die Nemini benefecisset, ad cœnam exclamavit:
Amici, diem perdidi!
Sic incrementa & gradus ad æternæ salutis Metam
vitæ

vitæ dies numerant;
Quibus quò quis propior, eò senior.
Qui verò sine his transeunt,
vitam perdunt in vita, & mortuam vivunt vitam.
Nulla tam brevis est vita monente Saavedra:
Cui ad agendum fortiter non sat temporis suppetat?
Et si verum est,
Quod super verba Psalmistæ: *semper laus ejus in ore meo,*
nos docet S. Augustinus:
Noli malè agere, & DEum laudâsti,
Certè piè Defunctus:
In brevitate vitæ fuit Senex
sua Innocentia & sancta & fortis & virtutib' omnib' completa & perfecta.
Quia contra nullam peccavit,
aut ulli adhæsit vitio:
maluit enim malitiam mundi ignorare,
quàm ejus particeps fieri.
Et simul ac has vitales adspexisset auras,
Sub vexillo Crucifixi
in Baptismatis fonte statim Militiæ Christianæ nomen dedit,
Ejusquè Signo & Symbolo Crucis in fronte & pectore signatus
Bellum cum Diabolo ejusquè operibus aggressus est.
In quo licèt Præliis mundanis impar,
Attamen Mortalitatis vanitatem debellavit
Immortalitatis Æternitate
Mortem morte,
Vitam vitâ.
Et sic certamen in Mundi transitorij Stadiô
finivit felicissimè ab ipso Exordio
In quo nemo coronatur,
nisi qui legitimè attigerit metam
Felix ergo, terquè quaterquè felix *Piè Defunctus,*
Cui ab ineunte ætate Stadium ita curæ fuit,
ut quantociùs fieret perfectus, cursumquè absolveret,
ac æquali cursu rectà ad ultimam mortis properaret metam.
Certè velocissimus, sed felicissimus cursus!
Quo Infans non solùm Viros & Senes;
Sed & ipsum annos dimetientem Phœbum,
velocitate cursûs,
Qua cum ipso quasi certamen inierat,
antevertens post se reliquit.
Et sic perfectior Victor ætate
& velocitate cursûs
Perfectis nondum perfectus
Coro-

Coronam immarcescibilem æterni Triumphi præripuit.
Frustrantur gaudio Thesaurum quærentes,
cum mortuorum inveniunt urnas,
sperando in iis optatas inventuros opes.
Tradunt Themistoclem
aliquorsum se conferentem
fortuitò in via in rem pretiosissimam incidisse,
sed tollere noluisse;
quin potius servo suo concessisse,
hisce additis verbis:
Non docet Themistoclem aliquid à terra tollere.
Beatus
mundi in via stadium ad Cœlum persoluturus
omnes pretiositates terrenas aliis reliquit
& in cursu suo nil quicquam de terra tollere,
nedum thesauros mundanos quærere voluit;
Sed unicè sibi lætitiæ gaudio gratulatur
de Urna Sepulchri
in qua anima
verum æternitatis thesaurum,
laborum finem,
Quietis portum,
stadii metam
Belli victoriam
victoriæ Triumphum
reperit.
nec unquam illorum frustrabitur gaudio
Cumquè in eo
Mortalitatis totum complevit circulum,
Noluit tamen totum complere anni Circulum in terris,
(Natus est enim Anno 1702. de 1. Sept. denatus Anno 1703. d. 3. Aug.)
Ut majorem annorum compleret circulum in cœlis,
Proprio Genitore evaderet Senior
Beatitudinis ætate in vita beata,
Et ceu Punctum
citiùs ingrederetur circulum æternitatis,
Cujus Principium & finis est
α & ω
DEUS
A Quo
ut
Justus
Raptus est de mundo, ne malitia ejus turbaret Intellectum.
Quò
Caduca Terræ

Terræ Horto emortua
Virgulta
in altum assurgeret,
in arborem excresceret
&
Æterna
Cœli in Viridario
ut Palma floreret.
Meritò ergo huic sepulchreto posueris
Lampadem Vestalem,
(Quæ dicitur cœlo accensa ignem fovisse)
cum inscriptione
Ab Æthere tantùm.
Disce ô Juventus!
vicissitudinem rerum
nec longam sperare vitam, sed brevem
rectè instituere.
Discrimina nesciens cœca mors
Mortales æquè immaturos ac maturos invadit
eo solùm nomine, quia Mortales
Disce ergo Mortalis
Mori in vita, ne mortem moriare in morte.
Brevis certè respiratio cunas inter & Tumulum;
Sed gravia adfert detrimenta, si malè impendatur.
Non sufficit stadium suum decurrisse
nisi ad finem usquè aut æqualis sit cursus
aut legitimè metam pertingat.
Perpende;
Hocce vitæ Theatrum esse Regnum Inconstantiæ,
in quo
Constans adeò nihil præter Inconstantiam,
nihil certius incertitudine.

Quia nihil diuturnam ejus pollicetur durationem,
Multa quidem signa Mortis portendunt vicinitatem;
Nullum certos vitæ designat terminos.
Quæquè maximè splendent, vitrea sunt maximè, & maximè franguntur,
Quo cursu stadium decurres, eo metam attinges.
Cave Mortalis, ne sis securus,
Ignoras penitus, utrum cras vixeris?
Semper hinc tibi ob oculos versentur illa Velleji Paterenli:
Nemo

Nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet, & frequentissimum Calamitatis initium Securitas.

Scito:

æquè facile esse vitam assurgentem labi
ac difficile lapsam rursum erigere.

Cogita

Tumbam vitæ tuæ Principium & finem
omnesquè aliquando secuturos

Abeuntem

sequimur,

Imus.

* * * * * * * * *
* * * * * *
* * * *

Grabschrifft

Der Anfang und das Ende /
des Menschen
ist
Mann Asch /

Aus Nichts macht Gott ein Asch und Erd /
Davon Ich bin / da zu Ich werd.
Worauff will man denn hie viel trauren?
Weil du heist Mensch man Asch du bist /
Du magst dich vorn und hinten schauen /
So siehstu das / was Irrdisch ist /
Und was sich her schreibt von der Erden /
Das muß zur Erden wieder werden.
Und was vom Himmel hergeschickt /
Das bleibt dem Himmel unverrückt.
Drum wohl erwege / daß hiebey /
Dein End gleich deinem Anfang sey.

Fragst nun / was sey der Mensch? Zu meiner Stet dich wende /
Da findestu Mann Asch. Vom Anfang und dem Ende /
Und sonsten anders nicht / mich die benennung Ziehet;
Drum wen Mann Asch der Mensch auch seinen (Nahmen führt.